

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0301

0299

0305

0295

0310

Ad hoc etiam devenerat malum, quod in hospitali S. Johannis nemo vel pauci manebant, quia nulla [cura vel] minima ab hospitaliaribus fovebantur peregrini, cum tamen hoc hospitale opulentissimum fuerit; nec in hospitali Theutonicorum sanctae Mariae pietas erat, et ideo boni et honesti peregrini cogebantur adire hospitia, quorum patroni erant fures, raptiores, dolosi, expulsi et turpitudinum patroni.

Praeter haec fuit per Christianos avaros quietudo civitatis sanctae perturbata, quia plena negotiationibus fuit facta de omni lingua, et ubi multa est negotiatio, ibi et abundans injustitia, unde ad litteram poterat Dominus supplicantibus pro civitate dicere illud Jerem. V.: Circuite vias Jerusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quaerentem fidem, et propitius ero eis etc. Propter haec ergo Dominus ad iracundiam concitatus terram, quam tulerant de manibus impiorum, rursum permisit eandem eorum dominio occupari. Veniens igitur Saladinus Jerusalem urbem grandi exercitu obsedit eamque ab occidentali parte vallavit atque continuus agressionibus obsessos vexare coepit, sed civibus pro viribus resistentibus ab aquilonari parte diu noctuque civitatem impugnavit, cumque muros machinis debilitasset, timentes cives, cum ex nullo loco praestolaretur auxilium, ne hostes violenta irruptione urbem occuparent, placuit instanti et inevitabili periculo cedere et sub certis conditionibus se reddere Saladino, ut scilicet redemtionis accepto pretio libere eos, qui exire voluerint, abire permittat. Saladinus ergo, sicut natura homo pius erat, misertus populo condescendit petitioni et omnibus, nullo demto, vitam donavit, hac conditione, quod qui manere sub suo tributo vellet, salvus maueret, qui (281A) autem emigrare vellet, si virilis sexus esset, aetatis plus quam decem annorum, solveret decem aureos puros ducatos, si vero minoris aetatis, solveret duos ducatos, mulieres vero darent quinque ducatos. Et haec conditio utrique parti placuit. Sed quia multa millia in civitate erant pauperes, qui nec decem denarios habebant, hos omnes absolvit Saladinus a debito.

19

Ende

Anfang

